

subscribit Philosopho, & nemo eorum, qui contra sentiunt ex ratione aliquâ ejus impossibilitatem evincit, cur fidem nostram auctoritati non adijciamus? Nam quod os uteri ita claudi scribat Galenus, ut ne acus quidem subintrare queat, licet ad prohibendam externam injuriam à natura fieri credamus, tamen nihil obstat, quò minus præ mollietate suâ & acuto sensu in momento delectationis iterùm aperiri possit, & semen de novo proleat. Quod etiam timent, ne per apertum orificium excidat partus, frustrà est, cum ex gemellis alterum sæpè excludi videamus, altero intus in aliquot septimanas, imò menses integros detento. Quia, qui jam conceptus est, nec ipse exitum quærit, nec ab utero expellitur.

IX.

Quod Galenus 8. de simpl. med. fac. c. de cucum. sylv. affirmare dicitur Francisco Valeriolæ lib. 1. Enarr. med. Enarr. 1. Omnia amara fœtui esse inimica & matri, tùm falsò asseritur, tùm præter mentem Galeno attribuitur, cum is non loquatur, nisi de amaris valdè calidis, & quæ propter partium tenuitatem urinam & menstrua moveant. Nec enim Cichorium & id genus alia intubacea quicquam mali vel fœtui inferunt, vel matri, utpote etiam amygdalæ amaræ Diamargaritum utrumque, quæ tamen multa amara continent & alia. Aut an amara omnia caloris excessu talia fieri, cum Galeno d. loco credemus? an potiùs quibusdam eorum vim refrigerandi quoque tribuemus, cum eodem 4. de simpl. med. fac. c. 7. propter diversarum partium confusionem?

X.

Δυσκοίαι, ex quâ teneræ potissimùm fœminæ, aut morbo aliquò debilitatæ, periclitari solent, causæ multæ a multis adferri solent, quæ tamen in duas classes præcipuè distribuuntur, alijs ad fœtum relatis, alijs ad matrem. Difficulus enim prodit infans, si facultas expultrix vel in utero, vel in toto corpore morbo aliquo facta fuerit imbecillior, si uterus sit exiguus, durus,

durus,